



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

3 An panis azymus sit de neceßitate Eucharist[i]æ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

magnam facit coniecturam, materiam illam, seu massam, quae dicitur amyllum, esse valde diuersae rationis a farina triticea, & consequenter, quamuis ex illa postea fiat pasta, seu massa & coquatur, illam non esse panem verum, & vsualem, sed corruptum: & aliud placet genus: non ergo erit materia sufficiens, Et haec sententia est valde verisimilis, & vt minimū, certum est, hanc materiam esse valde dubiam, vt dixit D. Thomas distinctione 11. quaestione 2. articulo 2. quaestione secunda ad 3. Et Soto distinctione 9. quaestione 1. art. 3. & ideo non esset consultum, neque scurum in illa conficere.

D. Thom.
Scotus.

SECTIO III.

Utrum panis azymus vel fermentatus sit de necessitate sacramenti.

5 Sententia.
Gracorum
erronea:

Dicam simul de necessitate sacramenti, & praecipui, quia haec duo D. Th. coniungit, & vix potest vnum abique alio tractari. Prima sententia est Gracorum, adferentium fermentatum panem esse de necessitate huius sacramenti, ita vt in solo illo, tam licite, quam valde confici possit. Quia error incepisse creditur post mille & viginti annos a Christi aduentu, vt colligitur ex Leone IX. epistola ad Michaelem Patriarcham Constantinopolitanum c. 5. & ex Anselmo lib. de fermentato & azymo. Guidone Carmelita, & Castro, verbo Eucharistia haeresi 2. Niceph. lib. 1 historiae c. 25. & in eodem errore nunc Graecos persistere, colligitur ex Hier. Patriar. Constantinopolitano, in libro responsionum ad Lutheranos capite 10. vbi negat in azymo fieri sacramentum. Fundamentum horum est, quia putant, Christum in fermentato pane consecrasset, dicunt enim non cenasse agnum decima quarta Luna, quando azyma incipiebat, sed Luna decima tertia, quando fermentum durabat, Confirmatur haec sententia, quia panis azymus non est panis simpliciter, sed secundum quid, cuius signum est, quia non est in communi vsu hominum.

Leo IX.
S. Anselm.
Guido.
Castro.
Euthym.
Niceph.
Hieron.

Secunda sententia referri potest, dicens, panem azyimum esse necessarium Latinis de necessitate sacramenti, fermentatum vero Graecis, ita, vt si in altero tenentur conficere, nihil facient. Ita docuit quidam Hugo, quem refert & sequi videtur Glossa in capit. Litteras, de celebratione missarum, sed est ineptissima sententia & sine fundamento.

Tertia ergo sententia est, neutrum quidem panem esse Latinis aut Graecis de necessitate sacramenti, conuenientiore tamen, magisque congruentem materiam esse panem fermentatum, quam azyimum. Hanc sequuntur Lutherani & Caluinistae, qui dicunt vsque ad Alexandrum tertium Ecclesiam fuisse vsam fermentato, illum vero Pontificem, vt aliquid in utilitatem faceret, azyimum introduxisse: quam consuetudinem ipsi despicientes, fermentato in suis caenis dominicis (vt vocant) vtuntur. Primo, quia est magis vsualis, & aptior ad cibandum hominem, & consequenter ad significationem spiritualem huius sacramenti. Secundo, quia non licet nobis vti caeremonia Iudaica. Panis autem azymus est Iudaica caeremonia, vnde in sexta Synodo Canone 11. Trullano prohibetur fideles Iudeorum azyma comedere. Ex quo inferitur, iuxta hunc errorem, non debuisse, nec potuisse Ecclesiam Latinam praecipere consecrationem in azymo, aut prohibere illam in fermentato. Cur enim prohibeat id, quod magis decet praesertim, quia celebrando in azymo semper magis videmur imitari Iudeorum ritum. Vnde eademmet Ecclesia Latina non curauit celebrare Pascha semper in Luna decima quarta, ne Iudaicum ritum retinere videretur. Confirmatur, quia panis fermentatus est perfectus panis: ergo non magis debuit prohiberi, quam vinum album vel nigrum.

6 Synodus.

Quarta sententia esse potest, in contrario extremos, panem, scilicet, azyimum esse de necessitate sacramenti, ita, vt fermentatus non sufficiat. Hanc tribuunt aliqui Armenis. Tamen, quamuis Nicephorus lib. 18. histor. cap. 53. referat eos consecrare, in azymo, non tamen dicit, eos hoc facere ea fide vel opinione, quia putent, hoc esse simpliciter necessarium, sed eo modo, quo facit Ecclesia Latina, vnde nullum inuenio huius erroris assertorem. Fundamentum autem eius esse potest, quia Christus consecrauit in azymo, sed est parui momenti, quia inde non fit, illam substantiam esse essentialem, quia fortasse consecrauit in vino albo, vnde non sequitur, illud esse ita necessarium, vt nigrum non sufficiat.

Quinta sententia est, panem azyimum, quamuis non sit de necessitate sacramenti, omnibus tamen esse de necessitate praecipui, ita, vt peccent Graeci consecrando in fermentato. Ita sentit Scotus. d. 11. q. 6. in fine. Gabr. lect. 34. in can. Castro supra circa finem. Hifolum videtur fundari in traditione Ecclesiae Romanae, cui etiam Graeci tenentur conformari. Alij vero videtur hoc fundare in iure diuino, fundato in factis Christi, qui in azymo consecrauit. Indicat Angel. Eucharist. 1. num. 6.

Sexta sententia est, Latinis esse panem azyimum necessarium necessitate praecipui, Graecis vero liberum esse hoc vel illo vti, ita Pal. d. 11. q. 1. a. 4. concludit. licet non satis clare. Fundamentum esse potest, quia Ecclesia Latina imposuit hoc praecipuum: ergo Graeci possunt, si volunt illi conformari, esto, non tenentur, quia Ecclesia Romana noluit illos obligare. Et confirmatur, nam cur tenebuntur sequi iuxta Ecclesiam ritum, cum schismaticus sit?

Dico primo, tam panis azymus, quam fermentatus, sufficit ad substantiam huius sacramenti. Est de fide, vt constat ex Concilio Florentino in decreto Eugenij, & ex doctrina Tridentina sessione 13. & ex capite. Ad abolendam de haereticis, vbi damnantur, qui dicunt, Ecclesiam Romanam errare in ritu sacramentorum. Vnde Leo IX. in dicta epistola sententiam Graecorum haereticam vocat. Item Innocent. libro quarto de myst. capite 4. & Anselm. dicta epistola de fermentato & azymo, & D. Thom. hic & omnes Scholastici, dist. 11. Anselm. 4. p. quaestione 32. & Gabr. dicta 3. lect. 34. Et quidem, quod panis fermentatus sufficit, omnes Catholici consentunt, & traditione constat, & ratione probatur statim. De pane autem azymo probatur primo de facto Christi, celebravit enim Pascha primo die azymorum, quando caeteri Iudei immolabant, vt constat ex Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. illo autem die iam non licebat vti fermentato, vt constat Exod. 12. Quinimo, quamuis Christus cenasset 13. Luna, vt Graeci volunt verisimilius esset in azymo consecrasset, vt Innocent. supra notat, & D. Thom. Thomas 4. distinct. 11. quaest. 2. art. 2. quaestione 3. quia licet Christus anticipasset tempus, tamen seruaturus erat omnes caeremonias illius Pascha: ergo sicut credendum est, vsu esse lactucis agrellibus in illa caena, ita est credendum vsu esse pane azymo, sicut lege erat praescriptum, quod etiam notauit Petrus Comestor in historia Euangelica, cap. 149. Dicere autem possunt Graeci, in caena quidem legali vsu esse Christum pane azymo, illa tamen finita, statim rediisse ad panem fermentatum, quod non dandum erat prohibitum. Sed in primis tam incertum est hoc, quam est incertum consecrasset in vino albo aut nigro, ergo sicut esset erroneum alterutrum ex illis vinis praescribere, propter factum Christi, ita & praescribere panem fermentatum. Ac deinde cum supra dixerimus Christum consecrasset ante inchoatam caenam vsualem paulo post finitam legalem, verisimile satis est consecrasset in pane & vino, quae superferuante ex caena legali: denique, si ipsi dicunt anticipasse Christum legalem caenam, cur non etiam dicent anticipasse totam caeremoniam illorum dierum, in quibus,

quibus post inchoatum azyma, non licebat ad fermentatum redire?

Vltimo probatur ratione, vtraque pars conclusio- nis, quia vterque panis est simpliciter panis, & ita in Scriptura vocatur. de fermentato nos fatemur, de azymio probatur primo ex eisdem locis cœne. Atcepit panem, &c. ex Luc. 24. vbi duo discipuli dicuntur agnouisse Christum in fractione panis, quem necesse est fuisse azymum, quia illud accidit in secundo vel tertio pascha die, & tamen in illis septem diebus non poterat iuxta legem inueniri fermentum in domibus Iudeorum. Exo. 12. & 23. vbi Caietanus hoc notat. Marci etiam 2. dicitur, Dauid comedisse panes propositionis, qui etiam 1. Reg. 21. & 22. panes simpliciter vocantur, quos tamen constat azymos fuisse, vt scribit Philo, in lib. de vita contemplatiua, & Iosephi. h. j. anei. c. 10. alias 9. colligitur ex Leui. 2. vbi dicitur, Omnis oblatio quæ offertur Domino, absque fermento fiat. Vnde Theodor. orat. 10. in Dani. circa illa verba, c. 10. Die autem vigesima, &c. expresse dicit: panis & fermentatus, & non fermentatus vocatur, & idem notatur ex Scriptura sacra, D. Thomas 4. dist. 11. qu. 2. art. 2. questio 3. ad 6. & Aletius, 4. part. quæst. 32. memb. 3. Ratione item probatur, quia vterque panis conficitur ex farina triticea, & naturali aqua subacta & puro igne coquitur. hæc autem tantum sunt de ratione panis, vterque etiam habet proprium vsum panis: nam licet vnus vsum sit frequentior, quam alterius, quia est delectabilior & aptior, tamen vtriusque vsum, est proprie vsum panis, scilicet, vt cum aliis cibis, tanquam illorum comes adhibeatur. Dices, panis fermentatus est corruptus: iuxta illud, modicum fermentum totam massam corrumpit. Respondetur, sensus est, totam massam fermentat, vt habet Græca lectio, non enim substantialiter corrumpit, sed alterat & disponit, vt tali modo fiat. Vnde potius, quando debito modo fit ita miltio, massa trahit fermentum (si fortasse substantialiter differunt) in suam naturam, & ita ex toto illo cõposito fit verus panis, qui totus est aptus secundum se, ad consecrationem. Quare merito aduerit D. Th. ne sit nimia mistio fermenti, quæ si massam ita corrumpere, vt non esset accommodata vsum hominum, posset id esse contra substantiam sacramenti, & multo magis erit, si solum ipsum fermentum cõctum assumatur, nam illud neque est panis, neque homines illo vti possunt.

Ex quo intelligitur, erroneum etiam esse, dicere alterum panem esse simpliciter de necessitate sacramenti in hac vel in illa Ecclesia, Græca aut Latina, nam & ratio facta, & testimonia adducta æque probant de omni Ecclesia, præterquam quod erroneum est dicere sacramenta habere alias essentias, in vna parte Ecclesiæ, ac in alia: aut consuetudinem aut præceptum Ecclesiæ posse immutari, aut essentialiter limitare materiam sacramentorum. Denique erroneum est dicere, Christum Dominum aliam materiam pro Græcis, aliam pro Latinis inuituisse. Quæ omnia supra in materia de sacramentis in genere probata sunt.

Dico secundo, cõuenientissime Latine Ecclesiam panem azymo vsum esse, habet enim hoc maiores congruentia rationes. Est certa, & probatur primo auctoritate Ecclesiæ Romanæ, quæ summa est, & à Beato Petro accepisse creditur hanc consuetudinem & continua traditione tenuisse. Quod enim noui hæretici dicunt hanc esse rem nouam & introductam ab Alexandro tertio impudentissimum est, & contra omnem historiam veritatem, vt constat ex citata epist. Leon. IX. & ex Innocent. lib. 4. cap. 4. Secundo probatur ex facto Christi, quem ostendimus in azymis cõsecrasset, eo, quod Luna decima quarta consecrauerit. Tertia ratio congruentiæ sumitur ex significatione, nam panis azymus significat puritatem, & sanctitatem Corporis Christi, vel puritatem, quam habere debet, qui ad hoc sacramentum accedunt; iuxta illud 1. ad Corinthios 5. Itaque epulemur non in fermento

Franc. Suarez Tom. 3.

Veteri, sed in azymis sinceritatis & veritatis. Quarta ratio veluti litteralis sumitur ex Anselmo, quia panis azymus facilius, purius ac decentius conficitur. Adde etiam ex Diuo Thoma hic ad quartum, panem azymum magis esse immunem ab omni corruptione.

Dico tertio, tam Græcis, quam Latinis licere Ecclesiæ suæ consuetudinem obseruare. Hæc conclusio est communis & certa. Docet eam Leo nonus dicta epistola capite 29. vbi & Latinorum consuetudinem defendit & subdit, eam esse Romanæ Ecclesiæ moderationem & prudentiam, vt, cum tam extra, quam intra illam multe sint Græcorum Ecclesiæ, nullam à paterna sua traditione perturbet, sed potius eam seruare moneat, & suadeat, quod etiam nunc in Rom. Ecclesia obseruari conspiciamus. Vnde constat iure diuino neutrum horum esse præceptum, quia solum Christi factum non satis est ad inducendum præceptum, nam licet consecrauerit in vino albo, verbi gratia, aut hora noctis, non ideo præcepit nos ita consecrare, hæcque ex alio testimonio scripto aut tradito potest iuris diuini præceptum colligi, & supra dicta Romanæ Ecclesiæ consuetudo satis docet, nullum tale esse vniuersale præceptum; non modo diuinum, verum etiam nōque humanum.

Quarto dicitur, tam Græcos, quàm Latinos teneri ad seruandum suæ Ecclesiæ ritum. Hæc est cõmunis sententia, quæ ita explicanda est, in primis enim sacerdos Latinus in Ecclesia Latina conficiens tenetur sine dubio in azymo consecrare, non solum propter scandalum, sed etiam, quia Ecclesiæ consuetudo obligationem inducit: vnde in Capite, Litteras, de Celebr. missa, punitur quidam sacerdos, q̄ in fermentato consecrasset. Deinde sacerdotes Græci similiter in sua Ecclesia conficientes, debent suæ Ecclesiæ consuetudinem obseruare: vt censet D. Th. & docent Caiet. Soto, & alij: Et colligitur ex Con. Florent. Et ratio est, quia Ecclesia Græca in hoc præcise facta non est schismatica, aliud est enim improbare Ecclesiæ Latine consuetudinem, asserendo illam esse contra veritatem, & reuerentiam sacramenti: aliud vero seruare suam consuetudinem, quam Ecclesia Romana non improbat, nec reprehendit, vt patet ex Conc. Florent. supra: & ex Leo. Papa in dicta epistola, & ex Innoc. lib. 4. de hoc mysterio capite 33. illud enim prius pertinet ad schisma & ad hæresim, & ideo tenentur omnino Græci illud vitare: hoc vero posterius, non pertinet ad schisma, sed ad quandam consuetudinem honestam, quam ipsa etiam Ecclesia Latina seruari vult, vt ex dictis patet: ergo tenentur sacerdotes Græci suæ Ecclesiæ consuetudini conformari.

Illud vero in hac conclusione explicandum superest, an Latinus sacerdos in Ecclesia Græca, vel Græcus in Latina respectiue in fermentato vel azymio cõsecrare teneatur. Respondetur, solere in Ecclesia Latina inueniri aliqua monasteria vel Ecclesias Græco-azymo cõsecrare, in quibus Græcorum ritus seruatur: & similiter possunt inter Græcos inueniri Ecclesiæ Latine in his ergo templis vnusquisque seruare debet suæ Ecclesiæ consuetudinem, quia perinde se habet, ac si in propria Ecclesia, Græca vel Latina versaretur, & hoc aperte docet Leo P. IX. dict. ep. ad Michael. c. 29. & ita etiam habet vsum. Existimo tamen non licere sacerdoti Latino in huiusmodi templo Græcorum, quod in Ecclesia Latina existit, quamuis in eo Græciritus seruentur à Græcis in fermentato consecrare, quia illud est quasi speciale priuilegium Græcis concessum, At vero si Latinus sacerdos versetur in Ecclesia Græca, & in propriis eorum Ecclesiis conficiat, optime faciet, eorum mori ac consuetudini se conformando, iuxta doctrinam Ambrosij ab Augustino recitatam, & probatam epistola 118. capite 1. epistola 119. capite 18. & habetur in capite, Ille, distinctione duodecima. Intelligo autem hoc verum esse siue aliquis diu, & tanquam incola inter Græcos habitet, siue vt hospes, ac peregrinus illac pertranseat, de quo posteriori

Tt modo



